DE
DVCE SALVTIS SVPPLICIIS PERFECTO
MEDITATIO PASCHALIS
IN ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA
A. O. R. CIↃ IↃCC XXXII

LITTERIS RITTERIANIS.

DEI GRATIA
VVILHELMVS HENRICVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET VVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE PRINCEPIS DIGNITATE COMES HENNEBERGIAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGIAE SAYNAE ITEM AC VVITTGENSTEINII DYNASTA RAVENSTEINII ET RELIQVA

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMVS

SALVTEM ET PACEM

A

IESV CHRISTO

SOTERE MVNDI O. M.

ADPRECATVR

CIVIBVS.

SI non opportunum tantum, ſed æquum etiam cenſetur, in triumpho quolibet labores et pericula, quibus defunctus, pro ſuorum libertate, pace atque ſalute, victor fuerit, crebris lætisque vſurpare ſermonibus: neque ab huius diei, ob victoriam, quæ IESV CHRISTI, Domini ac Soſpitatoris noſtri immortalis, virtute ac beneficio ad genus humanum peruenit, feſti atque ſollemnis, quemque reliquorum regem haut inconcinne adpellauit GREGORIVS NAZIANZENVS, lætitia et ſcopo alienum videri debet, quod eiusmodi VOBIS verba ſubiicimus, et, tamquam oraculo miſſa, in pectora animosque veſtros dimittenda commendamus, CIVES, quibus D. PAVLLVS, apoſtolus, *rectitudinem diuini conſilii de glorioſa quidem, ſed acerba ſimul, victoria iſta,* prædicat:* Ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ, inquiens, δι᾽ ὃν τὰ πάντα, καὶ δι᾽ οὗ τὰ πάντα, πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα, τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τελειῶσαι: *Decebat enim eum, vt, propter quem ſunt omnia, et per quem ſunt omnia, multos filios in gloriam perducentem, tamquam ducem principem ſalutis illorum, ſuppliciis perficeret.*

Propoſitio rectitudinis iſtius vocabulo ἔπρεπε conſtat, quo non tam πρέπον illud, ſiue *decorum*, quod in moribus hominum a *iuſto*

* Ebr. II, 10.

iuſto non minus, quam *boneſto*, diſtinguitur, et vel *conſultum* notat in genere, vel ſpeciatim inſtitutis, opinioni et propenſioni aliorum adcommodatum, ſed potius conuenientia ſingularis et exactiſſima cum *perfectione*, inprimis vero *iuſtitia*, diuina, neque minus cum grauiſſimi huius negotii *ſcopo*, deſignatur; quaſi nimirum *dignum* maieſtate diuina congruensque cum vniuerſa ſalutis œconomia dixerit Apoſtolus. Neque tamen excludenda eſt neceſſitas illa, quam CHRISTVS ipſe indicat * *οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν χριστόν*; nam et alibi *τὸ πρέπον* dicitur pro *neceſſario*, vel eo, quod ſub ratione quacunque *exigitur.* ** Vt nullum heic præſidium inueniat ſcholaſticorum hypotheſis, quam non ſolum ESTIVS, ſed ex Reformatis quoque HYPERIVS ingerit, DEVM nimirum alia quoque ratione ſaluti generis humani conſulere potuiſſe, ſi voluiſſet, neque opus abſolute fuiſſe morte filii. Hanc enim rationem iuſtitia diuina omnino exegit; quoniam infinita ſatisfactio, ei debita, neque ab angelo, neque ab homine nudo exſpectari potuit: adeoque incarnatio et paſſio alicuius perſonæ diuinæ ad redemptionem noſtram neceſſaria, ſecundæ autem DEO condecens et CHRISTO honorifica fuit, vt loquitur B. IO. GERHARDVS. Neque aliud perſuadet HYPERIVS: *quid non potuiſſet efficere in redimendo*, quærens, *qui ſolo verbo effecit omnia in creando?* Nam in opere redemptionis iuſtitiæ diuinæ inprimis habenda fuit ratio, cui non niſi a *Θεανθρώπῳ* ſatisfieri potuiſſe, pluribus doceri ſolet in theologicis. Interim *hypotheca* tantum heic fuit neceſſitas, quam vocant philoſophi, libertati Redemptoris nulla ratione aduerſa: quem nulla vis cogere, nulla neceſſitas compellere ad opus illud ſuſcipiendum et exſequendum, potuiſſet, abſque immenſo generis humani amore ſi fuiſſet. Multo adhuc minus eo pertinent Apoſtoli verba, vt CHRISTVM ipſum *in propria ſua carne* abolere peccata mundi, humanam ſuam naturam a peccatis tueri, tentationibus, non diaboli ſolum et mundi, ſed *propria vita* quoque, reſiſtere, et ſic *ex lapſu* eluctari, vel *emergere*, atque per mortem ad vitam penetrare *neceſſe* habuerit: quemadmodum contendit et ex verbis noſtris inprimis probare nititur perſonatus ille CHRISTIANVS

A 2 DEMO-

* *Luc. XXXIII, 26.*

** Vid. Matth. III, 5. Epheſ. V, 3. Tit. II, 1.

DEMOCRITVS. * Quamquam enim varie et κατὰ πάντα tentatum eſſe DOMINVM, abunde conſtat, et Apoſtolus in hac ipſa epiſtola, ad Ebræos perſcripta, aliquotiens teſtatur: quando tamen hic ſimul monet, *absque peccato* id factum eſſe, omnes tentationes, quæ in carne ſunt et a carne oriüntur, prorſus excludendæ ſunt. Nemo quippe a carne, vel in carne ſua, tentari poteſt ad peccandum, absque peccato: quia carnis et philautiæ peruerſæ ſtimuli, ad voluptatem, auaritiam atque ſuperbiam, ſemper vitioſi ſunt.** Neque huc pertrahi debent metus mortis, dolores, fames, ſitis, et quæcunque naturæ humanæ in ſe, non quatenus corrupta eſt, adverſantur præterea.

Ceterum propoſitionem ſuam ita *explicat probatque* Apoſtolus, vt et *quibus* conſilium diuinum, et *quidnam*, ſecundum illud, *conueniens* fuerit, oſtendat. Ad primum quantum attinet, et PATER et FILIVS ſatis aperte indicantur, et PATER quidem pronomine αὐτῷ, quod ſe refert ad verba proxime præcedentia, quibus CHRISTVS, beneficio, ſiue gratia, DEI, PATRIS nimirum, mortem pro omnibus guſtaſſe dicitur. Neque dubium cuiquam interpretum eſt, CHRISTVM eum eſſe, qui ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, *dux*, vel *princeps ſalutis*, heic adpelletur. Sed de quo intelligenda ſint verba intermedia, δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, πολλοὺς υἱοὺς ἀγαγόντα, non diuellenda temere, non inter omnes æque conuenit. Ad DEVM PATREM plerique, et præcipui quidem, ea referunt. Et quamuis non adpareat ſtatim, quomodo *accuſatiuus*, ἀγαγόντα, cum *datiuo*, αὐτῷ, connecti poſſit commode; et epitheta, δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, longius petita, neque iuſtitiæ diuinæ πρέπον explicare vel probare ſatis videantur: de conſtructione grammatica tamen, haut præter rem, reſpondet B. SEB. SCHMIDIVS, *datiuum*, αὐτῷ, heic eſſe caſum iudicantis, ſiue eius, ex cuius iudicio et ſententia res fieri debeat ab eo, qui multos filios in gloriam perducere vellet, accuſatiuum vero, ἀγαγόντα, agentem ipſum deſignare, qui quod dignum diuina perfectione, ſapientia et iuſtitia viſum fuerit, exſequatur; vt huc

* In *demonſtratione*, quam vocat, *euangelica*, quæſt. 47. & 48. vbi vocabulo ἔπρεπε, quo vſus heic eſt Apoſtolus, ſubſtituit, et, tamquam ἐμφατικὸν valde, vrget τὸ ἴδε, non ſine oſcitantia.

** *1. Ioann. I, 16.*

huc redeat ſententia: DEO, in æterno ſuo, ſuper ſalute hominum, conſilio, iuſtum decensque viſum eſſe, vt multos filios in gloriam adducturus *auctorem ſalutis illorum non prius ad conſummationem, humano generi ſalutarem, perduceret, quam pro vniuerſo ſatisfeciſſet patiendo*. Sed et epitheta iſta ad rem inprimis facere arbitratur SCHMIDIVS: *cum nempe, propter quem, et per quem ſint omnia, decere omnia iuſtiſſime agere. Quemadmodum* enim, *quando ab initio creauerit omnia, bona omnia, recta iuſta fecerit;* neque minus in *gubernatione mundi omnia diſpenſet iuſtiſſime*, tandemque *iuſte iudicaturus homines et angelos ſit: ita in negotio ſalutis nihil contra iuſtitiam eum facere debuiſſe.*

Aliis, GROTIO inprimis et LIMBORCHIO, τὰ πάντα ad ea tantum referenda videntur, quæ ſpectant ad ſalutem noſtram: quæ ſicuti DEVM auctorem habeant:* ita etiam ad illum, tamquam ad finem vltimum, referri debeant.** Conueniens itaque fuiſſe, vt CHRISTVS pateretur; quia hoc ad ſcopum, quem DEVS, in procuranda hominum ſalute, ſibi propoſuerit, inprimis fecerit.

Qui vero de CHRISTO capienda eſſe contendunt verba iſta, quæ diximus, intermedia,*** haut vna nituntur ratione. Primo enim ſcopo Apoſtoli haut parum conſentanea videtur interpretatio iſta: qui, quum ignominioſiſſima CHRISTI morte haut parum offendi ſciret Ebræos ſuos: id agit manifeſte, vt hanc nihil derogaſſe maieſtati eius diuinæ, quam verba iſta δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, deſignant maxime, ſed iuſtitiæ diuinæ rationem exegiſſe potius, vt redemptionis beneficium nonniſi cruenta ſatisfactione ſuppliciis et morte auctoris exhiberetur, oſtendat. Atque hoc ipſum totus etiam verborum ſententiarumque *contextus* loquitur; vbi, poſteaquam diuinitatem CHRISTI probauerat Apoſtolus; verbis proxime antecedentibus tacitæ velut obiectioni, CHRISTVM, quem longe maiorem angelis omnibus eſſe probauerat, infra horum conditionem, cruenta ſuppliciorum perpeſſione, deiectum quaſi fuiſſe, reſpondet: id ad tempus tantum, et quidem immenſo DEI beneficio et gratia, pro omnibus hominibus, factum

 ctum

* 2. Cor. V, 17. 18. Epheſ. II, 10.
** Epheſ. I, 6. 12. 14.
*** In quibus ſunt ANDR. HYPERIVS inprimis, paullo ante citatus, it. BENED. ARETIVS, DAVID PAREVS, ex noſtris vero B. AEGIDIVS HVNNIVS.

ctum eſſe, docet. Cuius rei rationem redditurus verbis noſtris, conueniens iuſtitiæ DEI, et, quod ab ea deflectere non poſſit, conſilio, fuiſſe, dicit, vt is hunc ipſum, qui tot filios in gloriam introducere vellet, vtut verus propriusque eius filius eſſet, propter quem et per quem omnia ſint, *tamquam ſalutis principem, auctorem atque ducem*, ſuppliciis conſtitueret, ſiue perficeret. Accedit, quod eadem et ſimilia alibi quoque de CHRISTO, DOMINO, prædicantur in diuinis litteris,* atque ſic plana ſunt omnia et perſpicua, neque conſtructio verborum grammatica vllam difficultatem habet. Quod clarius patet, ſi verba *πολλὺς υἱὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα*, antecedentibus, *δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' ὗ τὰ πάντα*, præpoſita concipias. Neque inſolens eiusmodi verborum collocatio græcis latinisque haberi debet, qua relata ei, ad quod ſunt referenda, præmittantur. Interim quum filios multos, eos omnes nempe, *quibus, vt filii* DEI *fierent, poteſtatem dedit*, hoc eſt, *in nomen ſuum credentes, non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex volutate viri*, *ſed ex* DEO *genitos*,** in gloriam adducere dicitur DOMINVS, id eum merito, doctrina verbique ſui virtute, neque minus, quod in oculis habere et ſequi debent omnes, exemplo, facere, perſpicuum eſt. Quod vero tempore aoriſto, ſeu indefinito, vtitur Apoſtolus, *ἀγαγόντα* eum adpellans, eo prorſus pertinere exiſtimes, quod, quicunque vnquam ad gloriam iſtam peruenerunt, perueniunt ac peruenturi deinceps ſunt, id eius merito et gratiæ acceptum referre debent. Neque audiendi ſunt, qui Apoſtolum de iis maxime ſanctis loqui contendunt, *qui ante* CHRISTVM *vixerint, iamque defuncti, fuerint in ſtatu ſalutis et certa ſpe gloriæ, ſed* CHRISTVM *adhuc expectauerint, qui morte ſua cælum et aditum ad gloriam aperiret.****

Ex

* Io. I, 3. 1.Cor VIII, 6. Eph. I, 10. 11. Col. I, 16. 17. Ebr. I. cap. XI, 3.

** Io. I, 12. 13.

*** vt loquitur CORNELIVS a LAPIDE in h. l. Contra vero IAC. CAPELLVS: *Hic locus eſt illuſtris ad euertendum commentitium limbum, in quem pios patres ante* CHRISTI *paſſionem defunctos relegauit ſuperſtitio. Sed non propterea definit* CHRISTVS *eſſe* Princeps ſalutis eorum, *quia nec gloriam, nec ſalutem illam vnquam adepti fuiſſent, niſi* CHRISTVS *fuiſſet venturus: adepti ſunt eam merito mortis, quam perpeſſurus erat* CHRISTVS. *Hoc ipſo docuit* CHRISTVS, *quam æternum ſit ſacerdotium ſuum, quum virtutem ſuam exſerturum ſit in æternum, et eam exſerere cœperit ſtatim ab initio.*

Ex dictis autem adparet iam, *quid heic conueniens* DEVMque *decere* ſtatuat Apoſtolus, quoque ſenſu DEVM *πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα, τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν διὰ παθημάτων τελειῶσαι* dicat. Qui *conſecrandi* ſignificatum vocabulo *τελειῶσαι* adſignant,* ſtilo patrum ferme nituntur, quibus baptiſmatis ſacramentum *τελείωσις* aliquando eſt, martyres vero *τελειωθῆναι* dicuntur. Quamquam vero negari non debet, CHRISTVM eſſe *paſcha pro nobis ſacrificatum*: ** id tamen alio plane vocabulo (*ἐθύθη*) exprimitur in diuinis litteris: neque cauſſa eſt, cur a communi ſignificatione *τοῦ τελειῶσαι*, qua nihil aliud eſt, quam *perficere*, vel *conſummare*, quaque tum alias, tum in hac ipſa epiſtola, ſæpius occurrit,*** recedere debeamus. Quando tamen quæritur, quomodo per adflictiones perfici potuerit CHRISTVS: id certe ad munus Redemptoris Ducisque ſalutis noſtræ referendum eſt, quod in eo ſitum fuit haut dubie, vt perpeſſiones et mortem ſubiret pro omnibus. Et ſicuti latinis *victoriam conſtituere* dicitur, qui facit, vt ea certa ſit, neque excidat e manibus: ita victorem quoque conſtitui putes, quum fiunt, quæ ad conſequendam victoriam neceſſaria ſunt. Vtrumque nihil aliud eſt, quam perfici. Huc igitur redit Apoſtoli ſententia: DEO PATRI *conuenienſ fuiſſe*, IESVM CHRISTVM, *propter quem*, ſi diuinam eius naturam ſpectes, *ſunt omnia, & per quem ſunt omnia, multos filios in gloriam adducturum*, tamquam *ducem ſalutis ipſorum, per adflictiones* (ſecundum humanam naturam ſubeundas) *conſtituere*. Sic, adparet, cur articulus non voci *ἀγαγόντα*, ſed *ἀρχηγὸν* præpoſuerit; vt nempe *rationem formalem*, quam vocant philoſophi, reſpectumque deſignaret, quo DOMINVS perfectus fuerit. Ceterum nihil aliud heic dicitur, quam quod ipſe in cruce dixit, animam poſiturus: *τετέλεσται, conſummatum eſt*: * facta ſunt, quæ ad ſaluandum genus

* CORNEL. a LAPIDE, PAREVS, PISTORIVS & BEZA in editionibus prioribus. Poſtea enim mutauit ſententiam, his verbis vſus: *Ceterum aliis magis placet* conſecrandi *verbum, quos in aliis editionibus ſum ſecutus, quod* CHRISTI *ærumnæ quaſi totidem ſacra fuerint, quibus initiaretur et ſuo Pontificatui conſecraretur ille noſtræ ſalutis dux: nunc vero mihi propius hæc conſideranti hæc interpretatio non placet &c.*

** 1. Cor. V, 7.

*** V, 9. VII, 19. et 28. VIIII, 9. X, 1. et 14. XI, 40. XII, 23.

* *Io. XVIIII, 30.* quem locum noſtro parallelum fecit CAMERARIVS.

nus humanum fuere neceſſaria. Fruſtra vero ad hunc locum prouocat, quem antea citauimus, DEMOCRITVS,* quum CHRISTVM in propria ſua carne tentationes ad peccandum ſuperaſſe, et hac quoque ratione ſuſtinuiſſe παθήματα, contendit. Fruſtra quoque reprehendit noſtros, qui humanam CHRISTI naturam, propter inhabitantem diuinitatem, ab omni peccandi periculo immunem fuiſſe docent; quaſi nempe, neſcimus cui, fatali neceſſitati hac ratione DOMINVM ſubiiciant. Atqui vero non quælibet neceſſitas libertati obeſt fatumue inducit, ſed ea tantum, quæ a cauſſa extrinſeca oritur, et ita voluntati incumbit, vt hæc, per illam, nullo modo aliter decernere poſſit. Quod ſi enim ea per ſe bonum teneat conſtanter, id libertatis perfectioni tribuendum: tantum abeſt vt eam tollere poſſit. Alias beati quoque, ſancti angeli et DEVS ipſe, fato ſubeſſent. **

Ad nos vero quantum attinet, ſi ſequi tantum Ducem, ſi dignam ei, pro immortali et inæſtimabili beneficio, referre gratiam, ſi vera fide gloriari, eamque probare, ſi peruenire ad gloriam velimus; vt carni corruptæ eiusque tentationibus conſtanter fortiterque reſiſtamus, omnino neceſſum habemus. Neque enim reſurgere cum CHRISTO et viuere, multoque minus triumphare, vnquam poterunt, qui pugnam iſtam, et mori cum ipſo, detrectauerint, DEI noſtri beneficium transferentes in libidinem, inque peccatorum luto quaſi et ſordibus volutati. Sed hæc vberius, feſtis iſtis diebus perſequentur, qui DVCIS noſtri immortalis victoriam atque triumphum celebrabunt, eorumque ſimul officia, qui duci ab illo æterniſque illius beneficiis frui voluerint, ſacris ſermonibus explicabunt, diuini verbi miniſtri. Quibus vt non morem ſolum geratis, ſed gratos etiam vos præbeatis, CIVES! et pietas iubet, et nos magnopere vos hortamur. P. P. feria I. feſti paſchatos an. CIↃ IↃCC XXXII.

* Lib. cit. p. 255. ſeqq.

** Quod præter ceteros vrget BERNHARDVS lib. de *gratia et libero arbitrio.* Add. AVGVSTINVS in *enchir.* c. 105.

VA 1 1529488